C

NOMINA.

Mercurialis.

LINOZΩΣΤΙΣ, ἢ ἑρμῆ βοτάνιον, ἢ πόα Græcis, Mercurialis Latinis & officinis dicit. Germanis Bingelkraut/ Mercuriuskraut/ oder Kůwurtz. Mercurialis dicta est, quod à Mercurio inuenta sit.

Mercurialis cur dicta

GENERA.

Duo eius genera, mas & fœmina, quæ facilè ex eorundē descriptionibus discerni poterunt. Folia uerò maribus nigriora, fœminis candidiora.

FORMA.

Mercurialis folia Ocimo similia habet, ad Helxines foliorum figuram accedentia, minora tamen. Ramulos geniculatos, alarū caua multa & densa habentes. Fœmina semen fert racemosum & multum. Mas uerò iuxta folia exiguum, rotundū, geminorum testiculorum modo connexum. Totus frutex dodrantalis, & nonnunquam maior.

LOCVS.

Nascitur in campestribus cultis, uinetisq́, aliquibus locis tam copiosa & efficax, ut sapore suo uina etiam inficiat, & bibentibus ingrata reddat.

TEMPVS.

Augusto mense semine prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam in primo ordine esse asserunt.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Vtraq; aluum mouet olerū modo comesta. Cocta in aqua & epota aqua, bilem & aquosa ducit. Creduntur præterea fœminæ folia trita & pota, aut post purgationem pudendis appositа, ut fœminæ concipiantur efficere. Masculæ uerò similiter
D adhibita, mares progenerare.

EX GALENO.

Mercuriali omnes duntaxat ad uentris purgationes utuntur. Verumenimuero si quis eius facere periculum uolet in cataplasmate, sanè digerentis admodum facultatis esse experietur.

EX PLINIO.

Mirum est quod de utroq; eorum genere proditur: ut mares gignantur huncfacere, ut fœminæ illam. Hoc cōtingere si à conceptu succus protinus bibatur in passo, edantúrue folia decocta ex oleo & sale, uel cruda ex aceto. Quidam decoquunt eam in nouo fictili cum heliotropio, & duabus aut tribus spicis, donec decoquatur. Decoctum dari iubent & herbam ipsam in cibo altero die purgationis mulieribus per triduū, quarto die à balneo coire eas. Hippocrates miris laudibus in mulierum usu prædicauit illas. Easq; ad hunc modum adhuc medicorū nemo nouit. Ille eas uuluæ cum melle, uel rosaceo, uel irino, uel lirino admouit. Item ad ciendos menses, secundasq;. Hocidem præstare potu fotuq; dixit. Instillauit auribus surdis succum, inunxitq; cum uino uetere. Aluo folia imposuit, epiphoris, stranguriæ & uesicæ. Decoctum eius dedit cum myrrha & thure. Aluo quidem soluendæ, uel in febri, decoquitur quantum manus capiat, in duobus sextarijs aquæ ad dimidias, bibitur sale & melle admixto: necnon cum ungula suis, aut gallinaceo decoctum salubrius. Purgationis causa putauere aliqui utranq; dandam, siue cum malua decoctum. Thoracem purgant, bilem detrahunt, sed stomachum lædunt.

DE LIBA-

MERCVRIALIS
MAS.